



3570
13
20
Pra. 32. num. 15.
1723, 8^a 9/

DISSERTATIO IVRIDICA
DE

FRVSTRANEA CADAVE-
RIS INSPECTIONE

IN
HOMICIDIO.

CONSENTIENTE ILLVSTRI IVRISCONSVLTORVM
ORDINE

P. 498.
D. XXIV. NOV. MDCCXXIII.

IN IVLEO MAIORI

PVBLICE VENTILANDA

PRAESIDE

POLYCARPO LEYSERO

IVR. MED. ET PHILOS. DOCTORE POESEOS

PROFESSORE ORDINARIO

RESPONDENTE

RVDOLP. FRIDER. TELGMANN

DVINGA - HANNOVERANO

IVRISPRVDENTIAE ET PHILOSOPHIAE CVLTORE.

HELMSTADII,

TYP. JOHANNIS STEPHANI HESSII.



Anno 1811

DISSERTATIO IURIDICA

DE VSTRA ANNA CADAVE

RE INSPECTIONE

HOMICIDIO

CONSENTIENTE ILLIUS TRIUMPHONSVLTOVM

D. KRIV. NOV. MDCCLXXII

IN FLEO MORI

TABLETTE VINCENDI

PRAXIDE

TOBYCARPO LEYSERO

IVS MED. ET THEO. DOCTOR TORRES

PROFESSOR ORDINARIO

RESPONDIT

RADOLPH FRIDR. TELGMANN

ADVM. HANNOVERENSIS

IVRSVAVINIAE ET PHIOOPHIAE CIVITATE

LIBRARY
UNIVERSITY OF
SAXONY-ANHALT
MAGDEBURG

THE LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF SASSONY-ANHALT
MAGDEBURG



PER-ILLVSTRI ATQVE GENEROSISSIMO
DOMINO
DN. ANDREAE
DE BERNSTORFF
MAGNAE BRITANNIAE, FRAN-
CIAE ET HIBERNIAE REGIS
IN ELECTORALI BRVNSVIGIO-
LVNEBVRGENSI
QVOD HANOVERAE FLORET DICASTERIO
CONSILIARIO AVLICO
PATRONO OBSERVANDISSIMO
GLORIAM PERPETVAM! INCOLVMITA-
TEM SEMPITERNAM!

PER-ILLUSTRI ATQUE GENEROSISSIMO

DOMINO

DN. ANDREAE

DE BERNSTORFF

MAGNAE BRITANNIAE FRAN-
CIAE ET HIBERNIAE REGIS

IN ELECTORALI BRUNSVIGIO
LIVERRINGEN

QUOD HANOVERAE FLORET DICASTERIO

CONSILIARIO AULICO

PATRONO OBSERVANDISSIMO

ELIXAM PERPETUAM! INCOLUNT!

TEM SEMPER ENAM!

PER-ILLVSTRIS ET GENEROSISSIME DOMINE
PATRONE OBSERVANDISSIME !



AXquisitissimo TVO, VIR PERIL-
LVSTRIS, iudicio hanc disserta-
tionem submittere, eidemque ex
splendore NOMINIS TVI lucem
affundere audeo. Cuius instituti
non una mihi est causa. Eminent
tamen in caeteris, quod ex Illustrissima BERNSTOR-
FIORVM profapia sanguinem trahis, quae hodie-
que Terris Electoralibus Brunsvigio-Luneburgensibus
Primum Rerum Moderatorem in Proceribus sistit,
adeo, ut omnes hunc Heroem Togatum necessitu-
dinis quodam vinculo attingentes in partem gloriae
venire videantur. Tantarum Virtutum aemulum
TE, VIR PER ILLVSTRIS, dudum agnovit Academia
Helmstadiensis, quae TE aetate aequales multis an-

te

tecellere parasangis iam olim admirabunda obser-
vavit, TEque Patriae TVAE fulcrum et decus
fore aliquando insigne est ominata. Nec fefellit
eam spes concepta, postquam Publica Res a mul-
to iam tempore uberrimos ex TVIS consiliis, re-
conditam doctrinam, et iudicium accerrimum, spi-
rantibus cepit fructus. Patere ergo VIR PER ILLVS-
TRIS, ut studia mea qualia qualia fulcimentum TVA
sub insigni tutela quaerant. Deum assiduis flagitab
precibus, ut Gloriam Avitam indies amplificando
TIBI inprimis fausta quaevis benignissime largiatur.

PER-ILLVSTRIS NOMINIS TVI

cultor observantissimus

RVDOLPH FRIDERICH TELGMANN
Duinga - Hannover.



DISSERTATIO
DE
FRVSTRANEA CADA-
VERIS INSPECTIONE
IN
HOMICIDIO.

§. I.



Niversarum disciplinarum arcus adeo nexus est, ut, ex quo Eruditionem variam non unam habet consuetudo, earum aliqua sine reliquarum ope rite nequeat pertractari. Jurisprudentia ergo & ceteris scientiis affinis est vel maxime. Non ex folis Legum decretis, sed ex aliis quoque penetralibus sua depromit vel illustrat Civile Jus. In his Medicum studium est, quod

A

quod in foro versanti non leves interdum dubitationum scopulos tollit. Non tamen diffiteor, eam ipsam disciplinarum cognationem errores nonnunquam producere, ex una scientia in alteram derivatos. Irreperunt non una ex Medicina in Jurisprudentiam falsa, quae hodieque plurimarum decisionum fundamenta constituunt. Ad partem septimestrem & undecimestrem solum provoco, quo de & aliis dabitur forte alio tempore differendi occasio. Hujusmodi vero vitia ex Jurisconsultorum culpa non contrahuntur, sed quod ex Medicorum veterum, errantium quidem, auctoritate tamen pollutum, opinionibus communioribus hauserunt olim Prudentes juris.

§. II.

Illud vitio verti majori jure posse videtur Juris peritis veterum, quod opem aliunde accersiverunt scrupulosiores, ubi opera peregrina opus non erat. Medicorum sententias exquisiverunt, & exquirendas injunxerunt posteris, in negotiis ejusmodi, quae Medica consilia non efflagitabant, sed ex Jurisconsultorum consultationibus solis definiri poterant, imo debebant. His annuero Solennem VVLNERVM INSPECTIONEM, & ut ajunt RENVNCIATIONEM, sive de eorum Lethalitate Judicium, quale Judices a Medicis expertere & exspectare solent eum infinem, ut homicidae poenam vel graviolem statuam, vel mitiorem. Perperam hoc fieri non uno momento ductus persuadeor. Mentem vero & rationes pluribus explicare animus est, quo periti Jurium judicent, rectene an secus, illa inspiciendi cadavera consuetudo, aboleri olim, tanquam supervacanea, possit, aut parcius adhiberi.

§. III.

§. III.

Homicidium in delictis illis est, quae juri Naturali maxime adversantur, & naturali quodam atrocitatis vitio gravissime laborant. Equidem nolo cum aliquibus delictorum gradus, majorem minoremve atrocitatem determinantes, definire. Quodvis crimen ex se suaque natura grave dici potest. Respectus delictorum ad alia diversi generis delicta inventu est valde difficilis, imo ob deficientem comparationis nexum, impossibilis. Sibi ergo per me sapiant solis, qui homicidium ea propter Adulterio gravius pronunciant crimen, quod in decem Mosaicarum tabularum praecipis priori loco collocatur interdictum de non occidendo, posteriori vero de matrimonii violatione lex; item quod in Decretalibus titulus de Homicidio antecedit titulum de Adulteriis. Mihi haec rationes ex illorum Logica petitae videntur, qui Institutiones Justiniani in quatuor libros distributos volunt eam ob causam, quod quatuor dentur elementa, aut quod quatuor resideant in corpore humano humores. Ita ex veris praemissis & nexu naturali non potest non vera elici conclusio. Probationum harum ea est natura, ut infinitis modis augeri queant. Addere enim argumentantes potuissent: Dantur quatuor Evangelistae, quorum scriptis notitia de Christo absolvitur. Ergo Institutiones illae, quibus Juris Civilis Romani notitia absolvitur, in quatuor partes erant dividendae. Et ita porro.

§. IV.

Repugnare homicidium Juris Naturalis, id est de officio hominis erga hominem legibus, quae ex ratione & ipsa natura rei petuntur, non difficile est conceptu. Ex fonte

conservationis propriae, quod mihi fieri nolo, alteri non facio, eum nec laedens nec occidens. Occisor enim a vindice securus, aut ab impetu aliorum reciproco tutus esse nequit, Societatis vero leges corruerent omnes, si membrum ejus laedere, & violenter quasi exinde rapere, liceret. Hinc antiquissimam in Divinis Legibus de non occidendo fuisse scimus, ita ut delicto poena simul statueretur talionis v. Genes. IX, 5. 6. Id quod interdictum plus una vice in sacro Codice legitur repetitum. v. Exod. XX, 13. XXI, 12. 14. 23. Levit. XXIV, 17. 21. Numeror. XXXV, 16. 17. 18. 19. 21. 30. 31. 33. Deut. V, 17. conf. Matth. XXVI, 52. Apoc. XII, 10.

§. V.

Quod ad punitionem hujus delicti attinet, videtur illa quidem juri repugnare naturali eo, quod restitutio occisi in integrum interfectione & supplicio homicidae non promovetur, nec pars laesa ullum inde sentit levamen. Accedit, quod rationi adversari videatur, societatem membro jam tum uno orbatam, alio adhuc privare. At vero, quoniam impuniti homicidae non subsisterent procul dubio in uno aliquo interficiendo, sed grassaturi essent per plura societatis membra, interest omnino reipublicae, tolli ejusmodi societatis humanae hostes e medio, ne alii quoque per impunitates tacite ad similia delicta perpetranda inducantur. Neque occisor habet, cur queratur, quippe qui alio, quam quod in alterum statuit, jure uti non potest. Nec indulgentia populorum quorundam in homicidas rationes evertit a nobis allatas, cum non ad auctoritates, sed ad legum fundamenta sit respiciendum. Saxones veteres homicidas non nisi pecuniaria multa affecerunt, cum equi caesorem morte punirent. Rationem legis novi nullam, nisi quod Gens illa Bellicosa hominibus abun-

abundabat, equis vero minime. Illorum multitudo ex frequentia coloniarum colligitur facile. Equorum vero necessitas eo tempore in bellis, quae magis praeliando, quam urbes obsidendo, ab equestribus potius, quam pedestribus copiis gerebantur, elucet satis. Adeoque Reipublicae interest magis equos salvari quam homines. Hanc vero rationem ad verae Justitiae criteria examinatam probari non posse & approbari persuadeor. Non immunes a nimia in homicidas indulgentia fuerunt Romani, Legum & justitiae, si qui alii longe peritissimi. Agnoscebant, omnem homicidam puniendum esse, ita ut exceptio nulla inveniret locum, ne ea quidem, quae ex personarum conditione desumi posset. Nam *Qui hominem occiderit, punitur, non habita differentia, cujus conditionis hominem interemit: statuente LEGE CORNELIA de Siccariis & Veneficiis, teste MARCIANO Lib. ad 14. Institutionum L. 1. §. 2. D. ad L. Cornel. de Sicar. Ideoque si dolo servus occisus sit, & lege Cornelia agere dominum posse constat, etsi lege Aquilia egerit, praecedendum fieri Corneliae non debet: iudice VLPIANO Lib. 18. ad Edictum L. 23. §. 9. D. ad L. Aquil.* Nihilominus ipsi hi Romani, qui nullam personarum diversitatem respicere videntur, in infligenda homicidii poena aliter longe pronunciant. Non enim omnem caedem in omnibus morte puniverunt, ita ut qui caedem admisissent etiam sponte dolove malo, si in honore aliquo positi essent, deportarentur solum, non capite punirentur. V. MODESTINUS Lib. 3. de Poenis L. 16. D. ad L. Cornel. de Sicar. Ignorant prima Justitiae Principia personarum ejusmodi diversitatem, neque adeo Romanorum decisionibus favent.

§. VI.

Illud vero Naturae Jus, quod homicidam impunitum noluit, saltem occisorem recte extremo affici supplicio distulavit,

tavit, INSPECTIONEM tamen CADAVERIS prorsus ignorat. Vigerunt Juris Naturalis dictamina eo etiam tempore, quo Inspectio Cadaveris nec instituebatur, nec institui poterat. Noverant eo tempore, quo vulnerum curatio expedite satis & rite promoveri non poterat, homicidae se a vindicibus non esse tutos. Floruit rationis dictamen eo etiam in aevo, quo de lethalitate vulnerum apte nondum iudicarent artis periti. Haec enim ad vulnerum dijudicationem praestruenda fundamenta seculis multo recentioribus sunt stabilita. Cainum primum fuisse scimus homicidam, fratris sui gemelli Abelis interfectorem. Is vero, vi hypothesium vulgo receptarum, homicidii & supplicii reus pronunciari non posset. Ex relatione Mosaica nullum apparet corpus delicti, nulla vulnerum inflictorum lethalitas, nulla cadaveris eaque legalis inspectio. Fortassis ope periti Medici cujusdam & Chirurgi tempestive adhibitorum in consilium, pristino potuisset statui restitui frater. Forte non ictu a fratre inflicto perit Habel, sed a casu caput lapidi cuidam illidente. Forte apoplexia obiit caesus, aut alio jam tum morbo laboravit, qui mortem acceleravit. Quidsi Cain se ex justo dolore ob praecalam fratris hostiam, & in primo irae impetu homicidium commississe, asseverasset? Quidsi quaestionibus rigidissimi Carnificis territus aut subjectus, se caedis non habuisse intentionem, dixisset & comprobasset? Hujusmodi sane si conjecturas & exceptiones admittere voluerimus, nocentissimus Cain innocens declarari potest. Ignorat ergo omnes ejusmodi circumstantias Jus Naturale & Rationabile.

§. VII.

Quod de Homicidio in universum diximus, id ipsum etiam ad genera ejus diversa, & ad vulgo dictum qualificatum

tum quadrat Homicidium. Omnis enim poenae fundamentum, sive naturale, sive civile, quaerendum & figendum est in perpetrantis *Conscientia & Voluntate*. Non delinquit, qui animum delinquendi nullum habet, nullum habere potest. Bruta quoniam ratione carentia habentur, a poenis, vitam imprimis privantibus, immunes recte pronunciantur, quamvis caeteroquin coerceri possint. DRACONIS quidem apud Athenienses legibus sancitum erat, ut non bruta solum sed & non animata, ubi occisioni hominis causam praebuissent, e medio tollerentur. Vnde & statua Niconis Thasij, quod lapsa hominem interfecisset, in mare praecipit demersa est. Sed leges hujusmodi non moramur, quae soli auctoritati & voluntati legum latorum, nullae rationi innituntur. In detestationem facti ejusmodi res aboleri posse concedo. Deus enim ipse jussit bovem cornupetam, admissio homicidio, interfici *Exod. XXI, 28. 29.* eum forte etiam in finem, ut in posterum nociturum animal tolleretur. Haec autem res poenae nomine venire non potest. Sive ergo animal ejusmodi aut non animata res lethale inflixerit vulnus sive non lethale, CADAVERIS nulla opus est INSPECTIONE. Instituitur etenim haec ipsa ideo, ut de poena vel ordinaria vel extraordinaria certi quid statui & definiri queat. Nulla autem locum inveniente poena, nulla est etiam occisi visitatio.

§. VIII.

Quod ad homines attinet, sunt in iis, qui usu rationis prorsus destituuntur, sunt qui ad tempus mente illa, qua ad deliberationes justas instituendas opus est, privantur. Prioribus accensendi stulti & stupidi a nativitate, maniaci, & his similes, infantes item aetatis, adeoque & judicii, immaturioris. Hinc infans vel furiosus, si hominem occidissent,

B

Lege

Lege Cornelia non tenebantur : cum alterum innocentia consilii tueatur, alterum fati infelicitas excuset: *Judice Modestino Lib. I. Regularum L. 12. D. ad L. Cornel. de scariis.* In posteriorum classe, qui scilicet animum deliberatum satis ad res agendas non afferunt, collocandi veniunt dormientes, sensuum usu, & nexu cum anima, non gaudentes; aegri, ex dolorum & morbi pertinacia impatientissimi; ebrii, ex potus generosioris haustu perturbati & velut transformati; omnesque variorum affectuum in temperie abrepti. Postremos quidem alio ex capite puniri posse non nego. Donec vero certa vitiis moralibus & affectibus distitetur poena, arbitrio judicis hujus rei dijudicatio permitti solet. Omnes interim illi, qui, inficii partim rerum a se gestarum, partim nolentés & quodammodo inviti, homicidium admiserunt, non puniuntur. Recte ergo HADRIANVS Imperator rescripsit olim: Eum, qui hominem occidit, si non occidendi animo hoc admittit, absolvi posse, *referente Marciano Lib. 14. Institutionum. L. 1. §. 2. D. ad L. Cornel. de scariis.* Consentit Imperator ANTONINVS L. C. ad L. Corn. de scar. ubi: Frater vester rectius fecerit, si se Praefidi provinciae obtulerit. Qui si probaverit non occidendi animo hominem a se percussum esse, remissa homicidii poena, secundum disciplinam militarem sententiam proferet: CRIMEN enim contrahitur, si & VOLUNTAS NOCENDI intercedat. Caeterum ea, quae ex improvise casu potius, quam fraude accidunt, fato plerumque non noxae imputantur. Quae decisionum rationes tenendae sunt, ubi-
cunque casu a non sciente, aut non volente, caedes perpetrata est. Quod si ergo poena in hujusmodi homicidiis omnino cessat, cessat etiam vulneris inspectio, quae poenae determinandae gratia inventa,

§. IX.

Nolentibus accensendi sunt, qui inviti & coacti, oppugnati scilicet, aggressores suos interficiunt. Omnes enim aggressores impune occiduntur. Subvenit sententiae huic auctoritate sua GORDIANVS Imperator *L. 2. C. ad L. Corn. de Sicar.* ubi : Is qui aggressorem vel quemcunque alium in dubio vitae discrimine constitutus occiderit, nullam ob id factum calumniam metuere debet. Idem Imperator alio loco *L. 3. C. de Sicar.* ita sentit : Si quis percussorem ad se venientem gladio repulerit, non ut homicida tenetur : quia defensor propriae salutis in nullo peccasse videtur. Accedit Imperator GALLIENVS *L. 4. C. ad L. Cornel. de Sicar.* aiens : Si latrocinantem peremisti, eum qui inferendae caedis voluntate praecesserat, jure caesum videri. Nec moderamen inculpatae tutelae violasse viderur, qui non aufugit, quamvis aufugere potuisset. Quoniam enim in licito versatur impugnatus, nullum aggressor jus habet alterum deturbandi, nec obligatio demonstrari potest, qua impugnatus fugam capeffere & cedere cogatur. Res haec est prudentiae non stricti juris. Praeterea fugiens salutis suae minus est certus, dum nec a casu, inprimis retrogrediens, nec ab aggressoris liberi impetu, si tergum verterit, telumque, quo se defendebat, averterit, immunis est. Nemo vero tenetur majorem alterius quam sui curam habere. Quicquid vero hujus sit, nulla in homicidiis coactis est voluntas, nullaque poena, si vel maxime lethale inflictum fuerit vulnus. Adeoque omni prorsus inquisitione in vulnereum lethalitatem superfedere possunt iudices. Inspectio enim poenae inferendae gratia instituitur. Vbi ergo sive lethalia fuerint vulnera, sive secus, poena locum non invenit, nec Cadaveris visitatio utilitatem praebet, aut necessaria habenda est.

§. X.

Aggreflorem honoris occidi pariter impune non dubito, quia vita & fama pari paffu ambulant. Itaque fi puella a ftuprum illaturo & pudicitiam violaturo, aliter feft extricare, quam aggreflofis interfectione, non poffit, impune occidere poffit. Hujusmodi autem licentia multa eget circumfpectione. Quoniam enim ftuprator a propofito etiam per leviora vulnera, eademque ignobilioribus corporis partibus inflicta repelli poffit, non videtur ab omni poena libera effe, quae occidit. Vt taceam a folo quodam mafculo eam vix puellae inferri poffe vim, ut virgine prorfus nolente ftuprum consummari queat. Interim quia in conflictu vulnera non dari poffunt ad menfuram, ipfeque violationis conatus puellae interficiendi licentiam concedit, & vires feminae facile debiliores redduntur, non delinquit, nec puniri poffit, quae integris adhuc viribus jure fuo utitur, quaeque infultus impudicos velut vim illatam, alia vi repellit. Ex dictis concluditur, eam, quae poenae irrogationem timere non debet, nec vulneris infpectioni occafionem fuppeditare. Et his ergo in cafibus fruflranea eff cadaveris infpectio.

§. XI.

Justus vero dolor impugnatum, fi aggreflorem interfecerit poftea, non excufat. Qui enim aggreflorem victum prorfus & cedentem infequitur, & infequendo caedit, inculpatae tutelae moderamen graviter violat. Vt in propofito cafu perfiftamus: quae illato ftupro occidit, vindictae caufa, a poena homicidii abfolvi vix poffit. Nam privato homini vindictam exercere nullo modo licet magiftratu folfi conceffam. Justus, qui praetexitur, dolor folis Juris Prudentiae

dentiae fundamentis non innitur. Dolor omnis, qui justus forte erat, ob injuriam acceptam, injustus redditur, ubi neglectis, quibus id demandatum negotii est, superioribus privata auctoritate offendentem quis laeserit. Dubitare itaque de justitia decisionis licebit, qua HADRIANVS Imperator rescriptit, eum qui stuprum, sibi vel suis, per vim inferentem occidit, dimittendum. V. MARCIANVS *Lib. 14. Institutionum, L. 1. §. 4. D. ad L. Corn. de Sicar.* A stupro enim, si plures adfuerint, prohiberi quis facile potest, etiam sine caede. Interea, quodsi vis illata stricto gladio, aut armis aliis, sit munita, dimittendum occisorem & ego arbitror. Minus quidem cum principiis dictis convenire scio ANTONINI *Pii* Imperatoris rescriptum, quo in eum, qui uxorem in adulterio deprehensam occidit, leviolem poenam irrogandam esse voluit: humiliore scilicet loco positum in exilium perpetuum dari, in aliqua dignitate constitutum ad tempus relegari v. MARCIANVS *L. 14. Institutionum, Lib. 1. §. 5. D. ad L. Cornel. de Sicar.* Ipsa Imperatoris verba nobis servavit PAPINIANS *Lib. 36. Quaestionum, L. 38. §. 8. D. ad L. Jul. de Adulter.* quae, quoniam junctam habent rationem, repeto: Ei qui uxorem suam in adulterio deprehensam occidisse se non negat, ultimum supplicium remitti potest, cum sit difficillimum justum dolorem temperare: & quia plus fecerit, quam quia vindicare se non debuerit, puniendus sit: sufficet igitur, si humilis loci sit, in opus perpetuum eum tradi: si qui honestior, in insulam relegari. Imperatores MARCVS ANTONINVS & COMMODOVS hanc sententiam ita confirmarunt, ut videntur nullam prorsus poenam exegisse. v. PAPINIANS *l. c.* At vero gaudent pari dignitate, parique jure, uxor & maritus, superioremque agnoscunt aliquem & communem judicem, cujus jurisdictio hujusmodi vindictae & poenae exercitio gravissime laeditur & violatur. Neque justus dolor solidam excusationem praebet in delictis, quoniam omnis offen-

sus justum habet dolorem, nec tamen vindictam sibi ipsi constituendi potestatem habet aut jus. Accedit, quod inauditum ne quidem filium, in quem tamen pater jus vitae & necis quodammodo, certe majus quam in uxorem, habuit olim, occidere licuit. V. VLPIANVS *Lib. 1. de Adulteriis L. 2. D. ad L. Cornel. de Sicar.* Rectius NICOLAUS Papa Albino Archiepiscopo scribens, non licere alicui uxorem suam adulteram occidere pronunciat, quamvis ex alio capite decisionis fundamentum petat *V. C. 6. 33. qu. 2.* ubi: Inter haec sanctitas vestra addere studuit, si cujus uxor adulterium perpetraverit, utrum marito illius liceat secundum mundanam legem eam interficere. Sed sancta Dei ecclesia mundanis nunquam constringitur legibus: gladium non habet, nisi spiritualem: non occidit sed vivificat. De caetero, ut ad propositum veniamus, sive excuset justus dolor homicidam, sive non, vulneris ejusque lethality ratio decisionem non variat, sed frustranea est in eam inquisitio.

§. XII.

Haecenus de involuntario homicidio Frustraneam Cadaveris Inspectionem evicimus. Restat, ut idem de voluntario probemus. Vbi voluntas comitatur factum, nullum est dubium, quin homicida poena a naturalibus et positivis Dei et hominum legibus statuta, sit afficiendus. Voluntas enim id, quod etiam ex antecedentibus constat, factum reddit illicitum, adeoque non Factum punitur sed voluntas. Hoc adeo verum est, ut sola voluntas etiam sine facto puniri possit. Recte ergo Lege Cornelia de Sicariis & Veneficiis tenebatur poenam ea lege in homicidas latam subire, qui hominis occidendi causa cum telo ambulasset: quam legis
 illius

illius vim fuisse discimus ex MARCIANO *Lib. 14. Institut. Lt. pr. D. ad L. Cornel. de Sicar.* Consentiant Imperatores DI-OCLETIANVS et MAXIMIANVS *L. 7. C. ad L. Cornel. de Sicar.* ita decernentes : Is qui cum telo ambulaverit hominis necandi causa, sicut is, qui hominem occiderit, vel cuius dolo malo factum erit commissum, legis Corneliae de Sicariis poena coercetur. Disputant quidem Jcti, utrum affectus recte puniatur, qui sine effectu existit. Quoniam vero ratio puniendi nullo modo in Facto et effectu quaeri potest, sed in affectu et voluntate, decisio quaestionis affirmativa optime stabilitur. Itaque HADRIANVS Imperator in haec verba rescripsit : In maleficiis voluntas spectatur non exitus v. CALLISTRATVS *Lib. 6. de Cognitionibus L. 14. D. ad L. Cornel. de Sicar.* Vacillant contrarium sentientes mox atrocitatem delicti, mox actum proximum requirentes, ut voluntas et conatus puniri possint. Nulla autem solida suppeditari potest ratio, cur in atrocioribus potius delictis, quam minus gravibus, debeat puniri voluntas. Gradus enim delictorum poenarum gradus suadere largior, eosdem vero et remissionem poenae omnimodam indicare non apparet. Quod actum concernit proximum, definiri is in delictis valde difficulter potest, nec si posset, esset attendendus, quoniam vitium delinquentis non haeret in actu proximo sed in voluntate. Qui itaque actus remotos studio instituit, et sponte sua, non potest exinde excusandi occasionem capere, quod opus perficere sicut forte impeditus, quod perfecisset, nisi conatibus vis obstitisset maior, vel virium imbecillitas. Nihil ergo est, quo conatus a poena liberetur. Quod si igitur homicidae decreta poena infligi potest etiam non occidenti, colligitur facile in nullo voluntario homicidio Cadaveris inspectionem requiri, sed sententiam sine eiusmodi praeiudicio medico ferri posse et debere.

§. XIII.

§. XIII.

Ob causas adductas ab omni iniquitate naturali libera sunt hodiernorum quorundam Principum decreta, de monomachis omnibus poena capitali afficiendis, sive provocaverint inimicum, sive evocati sint, sive laeserint, sive laesi sint, sive uterque immunis evaserit. Animo occidendi enim in certo loco congregiuntur dimicantes illi, adeoque homicidii moraliter et naturaliter rei existunt. Cui ergo usui instituetur Inspectio Cadaveris in hominibus duello exanimatis? Eam potius in omnibus etiam huiusmodi casibus Frustraneam esse patet.

§. XIV.

Cum conatus solus poenam secum ferat supplicii capitalis, coniectu facile est, quid de actu proximo cum effectu coniuncto sit dicendum. Nulla hic lethalitas vulneris est attendenda, cum etiam temerarius aggressor ille, qui non occidit, sed solum vulneravit, idem supplicium sit meritus. Consentit HADRIANVS Imperator, qui rescripsit aliquando eum, qui hominem non occidit, sed vulneravit, ut occidat, pro homicida damnandum, teste MARCIANO *Lib. 14. Insit. L. 1. §. 3. D. ad L. Cornel. de Sicar.*

§. XV.

De voluntate vero homicidae, imprimis aggressoris, vel ex ipso Facto constat vel ex indicis et praesumptionibus certi quid colligitur. Ea res ex solo nonnunquam instrumento,

to, quo caedes facta est, diiudicatur recte. Qui gladium frinxerit, et eo percusserit occidendi animo, homicidium perpetrasse dicendus: adstipulante MARTIANO *Lib. 14. Instit. L. 1. §. 3. D. ad. L. Cornel de Sicar.* Hinc BENEDICTVS CARPZOV, in *Practic. rerum Criminal. p. m. 3. sq. quaestio-* nem: Si quis gladio, vel ligno, vel alio simili instrumeto Sempronium percusserit pravo animo, volens ei iniuriam irrogare, ejusque faciem cicatrice signare, non occidere, nec tamen potuit manum ita temperare, quin graviter percusserit, ex eaque percussione praeter intentionem vulnerantis, mors fuerit secuta; ane delinquens poena mortis puniri debeat? recte affirmat, cujus momenta pluribus videantur. Praesumptio enim ex lethifero instrumento desumpta majus iudicis sententiae pondus asferre debet, quam rei negatio. Hic sane versatur in illicito, & praevidere poterat, alterum injuriam vi similibusque armis esse pro posse repulsurum. Unde caedes fere inevitabilis. Voluntas etiam iudicari nonnunquam solet ex parte laesa laedendave, si ea vulnerata. Termino technico dicunt: *sich auf parol schlagen,* Sed et hi excusari vix possunt, ubi occiderint. Vulnera enim non dantur ad mensuram, neque in conflictu ipso omnes armorum ita compotes semper sunt, ut locum vulneri certum assignare possint. Fac vero dubia esse haec de voluntate criteria, imo ne praesumptiones quidem adesse, nec ex intima quidem et curiosissima cadaveris inspectione voluntas patebit, quam tamen explorare iudicis est. Frustranea ergo est inquisitio vulneris, quae nil determinat, iudicemque nullo modo juvat, aut certiozem de poena pronuncianda reddit. Omnis namque homicidii poena ex animo caedentis iudicanda est, nec ex vulnerum visitatione aut eorum lethalitate cognoscitur.

C

§. XVI.

§. XVI.

A dolo huiusmodi et voluntario culposum separare et discernere solent. Exempla culposi homicidii suppeditat *PAVLVS libro singulari de publicis Iudiciis L. 7. D. ad L. Corn. de Sicar.* Scilicet, si quis alto se praecipitaverit, et super alium venerit, eumque occiderit: aut putator ex arbore, cum ramum deiceret, non praecclamaverit, et praetereuntem occiderit. Ego eiusmodi occisorem a dolo non prorsus liberarem. Qui enim, quod facere debebat, sciens et volens omittit, culpam cum dolo coniunctam admisisse dicendus est. Idem sentio de eo, qui per lasciviam causam mortis praebuit, quod confirmat *HADRIANVS Imperator v. VLPIANVS Lib. 7. de officio Proconsulis L. 4. §. 1. D. ad L. Cornel. de Sicar.* Videtur quidem adversari nobis decisio quaedam *MEVIANA P. 1. n. 221.* qua extra culpam constituitur auriga, qui per plateam vehem frumenti ducens puerum aristas captantem occiderat. Quoniam vero, Mevio ipso consente, culpa iudicanda est ex neglectu eius, quod facere illum oportuit, aurigae incumbere, ut sistat currum, ubi occurrat infans, vel etiam homo provectioris aetatis, et laesio timenda est, arbitror. Fatetur de auriga Mevius, vidisse eum puerum, nec tamen currum stitisse, quod facere omnino poterat, cum vehes frumenti pedetentim procedat, et equi eum trahentes retardari facile possint. Imo sistere currum debebat auriga, cum videret hominem aetatis et iudicii non provectioris, sed debilioris, aristas captare. Neque excusata exclamatio praevia. Pueri enim sunt pueri, et ad rationis regulas non semper procedunt. Quis vero liberaret a culpa hominem, qui sciens et videns alterum in periculo constitutum, non eripit. Si non vidisset puerum, si non inclamasset,

erat

erat velut in licitis versatus excusandus. Videns vero puerum, vehendoque nihilominus pergens, non observavit, quae observare debebat. Quicquid huius sit de culpa aut dolo informari iudex per inspectionem non potest. Adeoque et hic frustranea ea est. Quoniam vero ad poenam irrogandam iudici sufficit, ut de voluntate constet, qua non cognita poenae nullus relinquitur locus, ea vero ex inspectione cognosci nequeat, quoniamque, in nullarecenstorum homicidiorum specie inspectio iudicem quid docere potest, apparet eam prorsus esse Frustraneam.

§. XVII.

Ex principiis adductis Iuridicis non Medicis ab omni aeo homicidae poena est statuta. Ignoravit Inspectionem Ius Civile positivum per Seculorum plures decades. Leges Mosáicae de ea silent. Leges Atheniensium, Lacedaemoniorum et Graecorum aliorum nihil de ea mandant. Leges Romanae, alioqui scrupulosiores, nihil hanc in rem praecipunt. Primum CAROLI V. Imperatoris Criminalis constitutio in vexit ubi artic. 149. dicitur: Und damit in obgemelten Fällen, gebürliche ermessung und erkandtnüss solcher unterschiedlichen Verwundung halber, nach der begräbnüss des entleibten, dester minder mangel sey, sol der Richter sampt Zweyen Scheffen, dem Gericht Schreiber, und einem oder mehr Wund-artzten (so man die gehalten, und solches geschehen kan) die dann zuvor dazu beeydiget werden sollen, denselbigen todten Körper, vor den Begräbnüss mit fleiss besichtigen, und alle seine empfangene wunden, Schläg und Würff wie der jedes funden und ermessen würde, mit fleiss mercken. Conf. Artic. 147. ubi iudicium requiritur peritorum, an quis ex vulnere aliave causa mortuus

mortuus fuerit. Videtur Imperator nudam Inspectionem Cadaveris iussisse, cui posterius aevum sectionem addidit. Id quod etiam ex relationibus Chirurgorum apparet, qui secundum profunditatem solum, et amplitudinem, vulnere eorum lethalitate iudicaverunt olim. Hinc Kampffer wunden dicuntur in renunciationibus illorum vulnera, quae habent profunditatem unguis et longitudinem longissimi articuli in medio manus digito; Doppel Kämpfer, quae duorum articularum longitudinem habent; et ita porro. V. AMMANNI *Medicina Critic.* p. 118. 119. 124. Nolo contra Imperatoriam, et lege receptam auctoritatem, disputare. Pateret etiam campus de poenis arbitrariis, earumque legalitate vel illegalitate, differendi, quippe quae legi de Inspectione Cadaveris occasionem dedisse videntur. Sed haec alii tempori servo.

§. XVIII.

Ad allata hucusque, pro frustranea Cadaveris Inspectione in homicidio, momenta et hoc addo, quod facilius longe de intentione vulnerantis ex aliis circumstantiis iudicari possit, quam de lethalitate vulneris. Dubiam eam renunciationem esse Medici ipsi ore et re ipsa confirmant. Hippocrates vulnera capitis lethalia habet, cuius auctoritati experientia contrariatur. Ipsi etiam Medici circa eundem saepe casum dubii valde sunt sibi contrariantes. Ita vulnus quoddam tendinum supra genu, globulis minimis inflatum, D. Albertus HOHENZWEIGK sanabile, LIPSIENSIS Medica Facultas lethale pronuntiavit. v. *Pauli Ammanni Medicina critica* p. 56. 59. Vulnus quoddam laevo bregmatis osi inflatum, relictis in Cranio pugionis mucrone, D. Ioh. SCHLEZAVS lethale, ROSTOCHIENSE et LIPSIENSE Collegia Medica non

non necessario lethale extitisse iudicarunt *V. Ammannus l. c. p. 69. seqq.* Vulnus quoddam spinali Medullae inflictum Medici quidam DESSAVIENSES lethale, WITTEBERGENSES et LIPSIENSES nullo modo lethale esse dixerunt. *v. l. c. p. 249. seqq.* Eiusmodi dissensionum exempla alia prostant infinita. Ponderandas esse rationes ab utraque parte dixeris, atque ita de lethalitate decidendum. Sed vereor, ut Index Civilis fati idoneus inter Medicos dissentientes arbiter habeatur. Quae vero Iuris Consultorum nonnulli ex alio fonte desumunt lethalitatis signa dubia sunt et falsa. Spatium enim temporis ante obitum vulnerati effluxum lethalitatem vulneris per se nullam arguit, cum negligentia propria et chirurgi, eodem quo quis vulneratus est die mortem accelerare possit. Nec conveniunt de tempore ICTi. Alii triduum, alii quinque, alii octo, alii novem, alii sexaginta dies, alii octo menses, alii annum, alii triennium termini loco constituunt. Consulatur hac de re pluribus dissertatio praeside Georg. WOLFG. WEDELIO de efficacia dierum criticorum in vulneribus de lethalitate dubiis ab Augusto Christiano Knaut Ienae 1712. defensa. Non maior de lethalitate certitudo petitur ex quantitate, latitudine, longitudine et profunditate vulneris, aut ex qualitate armorum. Vel acicula enim minimum infligens vulnus, accedentibus inprimis symptomatibus, mortem saepe infert. Nullo etiam fundamento innititur, quae supervenientiae doloris, aut quod vulneratus nunquam reconvaluerit, debetur praesumptio. Doloris praesentia bonum saepe habetur, cum eius absentia sphacelatam corporis partem non raro indicet. Raro vero vel nunquam, vulnerati ita reconvalescunt, ut nulli ex vulnere dolores sive omni sive certo tempore supersint. Adeoque ex praesumptione memorata falsum fuisset confectarium: omnia vulnera esse lethalia. Non moror eos, qui iudicis arbitrio committunt, quando quis mortifere vulneratus, et ex quo vulnere

nere mortuus quis, dicatur. Scilicet artifice in sua arte cre-
dendum est. Mallent qui ita sentiunt, iudicium de lethali-
tate vulnerum ad casus pro amico retulisse, ubi ob dubia
varia occasio datur, ad suas partes rapiendi iudicem,

§. XIX.

Neque me auctoritas aliter sententiarum a sententia mea
divellit. Audiamus autem eorum rationes. Statum contro-
versiae format Benedictus CARPZOVIVS in Practica Rerum crimi-
nal p. 134. n. 1. Liberatur, ex ejus sententia, a poena ordi-
naria reus homicidii, quando occisus obiit non ex vulnere,
quod lethale non fuit, sed culpa Medicorum, vel ex malo re-
gimine, vel alia ex causa & symptomate superveniente. Alle-
gatae auctoritates Damhouderi, Gomez; Theodorici, Fari-
naccii me non movent. Arbitror potius, poenam vel nullam
vel ordinariam esse infligendam: nullam, si sine intentione
occidendi commissum factum est; ordinariam, si animus de-
linquendi accessit: *Sicuti, objicit CARPZOVIVS, in aliis delictis, ita
etiam in homicidio, antequam poena mortis imponatur, de corpore
delicti constare debet, neque ex sola confessione Reus condemnari
potest.* Quamvis adversus haec varia moneri possent, audie-
mus tamen applicationem. *Non solum autem, addit CARP-
ZOVIVS, de homicidio constare debet, sed etiam de omnibus quali-
tibus & circumstantiis homicidii, & praecipue occisum ex per-
cussione aut vulnere inflicto obiisse, illudque fuisse lethale & morti-
ferum, hoc est, tale, quod plus tendit ad mortem, quam ad eva-
sionem.* Ex fundamentis allatis falso praestruitur de homicidio
constare debere. Qui enim animo occidendi telo mortifero
quem invadit, etiam si laesus inde non moriatur, tamen ag-
gressor reus est homicidii. Omnes circumstantias & quali-
tates homicidii considerandas esse & ego arbitror. A iudice
vero

vero non aliae, praeter juridicae, attendendae sunt, nullae physicae. Hac enim, & si quae aliae fuerint, supervacaneae sunt, cum non de facto simpliciter quaeratur & praecipue, sed in primis de moralitate facti, quae, etsi omnes Medici & Chirurghi ad inspiciendum cadaver concurrerent, non magis patesceret. Falsum enim est, praecipuum in circumstantiis, a iudice scilicet ponderandis, esse: occisum ex percussione aut vulnere inflictio obiisse, illudque fuisse lethale & mortiferum. Haec si esset praecipua circumstantia, de poena etiam homicidae definiret prorsus. Contrarium vero hujus rei e vulneribus absolute lethalibus homicidii involuntarii dicitur facile. Non puniuntur enim hujusmodi occisores, ob defectum voluntatis. Ergo & voluntarie interficientes puniuntur, etiam sine lethalitate manifesta. Adeoque nec praecipua circumstantia, nec necessaria ad reum puniendum est vulnere perquisitio. Fundamento collapso, corruunt caetera. De vulnere, pergit CARPZOVIVS, *mortifero si appareat, vulnerans de occiso tenetur, quia ex vulnere occisus praesumitur decessisse.* Rationem physicam ad decisionem juridicam non sufficere indicavi, quod adversus modo dicta repeto. *E contra vero, arguit CARPZOVIVS, quando vulnus illatum mortiferum aut lethale non fuit, vulneratus non praesumitur ex vulnere decessisse, sed ex alia causa, quam praesumptionem inducit sola qualitas vulneris non mortalis. Et sic vulnerans non de occiso, sed de vulnere tenetur. Adeoque nec vulnerans hoc casu poena gladii puniri potest.* Ex verbis his concludendum esset, omnes temerarios aggressores, dummodo fortuna illis favorit, ut vulnus infigant non lethale, impunitos censerit, adeoque non ex proposito judicari, sed ex eventu, quod falsum esse superius diximus. Si quidem ab arbitrio vulnerantis qualitas penderet vulneris, concedi posset sententia CARPZOVII. Quoniam vero vulnus non datur ad mensuram, qualitas vulneris factum

factum nec excusat, nec aggravat, adeoque poenam nec mitigtat, nec exasperat.

§. XX.

Sequamur porro vestigia CARPZOVII, qui sententiam suam pluribus fulcire molitur argumentis. Primum praesidium petit ex *L. qui occidit 30. §. fin. ibi*: Si vulneratus fuerit servus non mortifere, negligentia autem perierit, de vulnerato actio erit de non occiso. *D. ad L. Aquil. Si ergo*, arguit CARPZOVIVS hoc verum est in actione *L. Aquiliae*, multo magis idem obtinebit in actione criminali, & quoad poenam homicidii infligendam, ubi majus versatur praesudicium vulnerantis, & ad quam non nisi in manifesto ac claro delicto perveniri potest. At vero Lex adducta ad controversiae statum applicari minime potest aut debet. Veteres inspectionem cadaveris & renunciationem vulnerum, quam hodie requirunt iudices, ignorabant & non exercebant. Eos itaque lethalitatem ex partibus nobilioribus in genere duxisse valde vero est simile, adeoque vulnera non mortifera fere brachii & pedum habuerunt. Negligentiam quoque hic intelligendam esse vulnerati, ut si non patitur se a Medicis curari, observat Baldus. Quicquid huius sit ab actione *L. Aquiliae* ad actionem criminalem sive ex *L. Cornelia de Siciariis*, non valet consequentia. Illa de aestimatione damni est sollicita, adeoque quod alius culpa admissum est damnum, praestare nemo tenetur. Lex vero *Cornelia* damni nullam habet rationem, sed de animo vulnerantis disquirat, adeoque longe aliter de vulneribus iudicat, ita ut qui hominem non occidit, sed vulneravit, ut occidat, pro homicidia damnandus sit *vi L. 1. §. 3. D. ad L. Cornel. de Sicar.* Qua de re iam satis dictum est superius. Ad poenam homicidii non nisi in manifesto

ac claro delicto perveniri posse largior. Claritatem autem illam ex vulneris qualitate derivari posse nego, Vbi manifesta est occidendi voluntas, clarum etiam & manifestum est delictum, etiam si nulla accesserit Cadaveris inspectio, etiam si visitatio imperite fuerit instituta. Secunda CARPZOVII ratio innititur *L. si ex plagis 25. in pr. ibi.* Si ex plagis servus mortuus esset, neque id Medici inscientia aut domini negligentia accidisset, recte de injuria occiso eo agitur. *D. ad L. Aquil.* Vnde ex mente CARPZOVII sequitur a contrario sensu, si non ex plagis seu vulneribus, sed aliunde mortuus fuerit, de injuria agi non posse. Est enim argumentum a contrario sensu in jure fortissimum. Si vel omnia admitterem, quae tamen vacillant admodum, jam antea aliam esse actionis ex *L. Aquilia*, aliam ex *L. Cornelia de Sicariis* naturam monui, adeoque responsio ad objecta ex dictis peti potest. Tertium fundamentum defumit CARPZOVIVS ex *Caroli V. Ordinat. Crimin. artic. 147. 148.* Sed non disquiritur nunc de voluntate Legislatoris, quae non raro ex praecipue Jctorum communioribus fluit, sed de rationibus ex prudentia juris ejusque Analogia derivandis. Secundum haec placita aequitas Carolinae Constitutionis ex alio capite defendi non posse videtur, nisi ex aggratiandi jure, quo capite plectendi in poenam capitalem non incurrunt. Quarta ratio CARPZOVII certi juris facit, quod poena gladii ob homicidium plectendus sit solummodo ille, qui aliquem revera occidit. *L. nemo C. de Episc. audient. At, si vulneratus vulnere lethali non inflicto, culpa Medici aut malo regimine moriatur, non tam a vulnerante quam a Medico aut se ipso interficitur. Igitur nec vulnerans pro homicida revera haberi, nec poena homicidii affici debet.* Ratio adducta valde incerti juris est, ut ex antecedentibus didicimus. Quod solummodo ille, qui aliquem revera occidit, poena gladii plectendus sit, non sanxerunt Imperatores VALENTINIANVS, THEODOSIVS &

& ARCADIUS in L. 3. C. de Episc. audient. sed cavent, ne inter dimittendos, ex carcere tempore paschatis homicidae numerentur, addita ratione: Homicida, quod fecit, semper expectet. Qui ergo homicidam supplicii reum facit, non dicit, homicidam solum illum esse & plectendum, qui revera occidit. Etiam si vulneratus proprie alius culpa moriatur, tamen solum vulnus, imo solus aggressoris impetus eum criminis homicidii reum facit. Quae praeter CARPZOVIVM alii adversus sententiam meam proferunt, iisdem argumentis innituntur, quae nunc discussa sunt, adeoque CARPZOVIVM refutasse omnes oppugnasse est.

§. XXI.

Neque tamen nulli sunt in JureConsultis meae sententiae faventes. Jcti LIPSIENSES ad Quaesitum: Vtrum, neglecta Ordinationis Carolinae circa inspectionem cadaveris norma, poenae homicidii ordinariae locus sit? ita respondent: Wir erinnern uns zwar, daß unsere Vorfahren in dem Fall, da nach der Entleibung die todte Körper entweder gar nicht, oder nicht gebührend, seciret und besichtigt, die ordentliche Todes-Straffe darauf zu erkennen Bedencken getragen. - - Nachdem aber uns bis anhero Fälle vor die Hand kommen, da einer nach empfangenen Schuls oder anderer Verletzung, alsobald Sinn und Verstand verlohren, auch gleich oder in kurtzen darauf seinen Geist aufgegeben, sind wir darüber, zumahl wenn die Verwundung mit einem mörderlichen Gewehr, und an einem gefährlichen Orte des Leibes geschehen, nicht wenig bekümmert worden, neglecta cadaveris inspectione, nichts desto minder auff die Todes-Straffe zu erkennen sey, juxta Feltmann, de cadav. inspic. c. 62. n. ult. Wann wir betrachtet, daß weder in jure divino, noch in denen

denen weltlichen Rechten die Besichtigung des todten Körpers præcise, und daß außserdem wider den Todschläger mit der Todes Straffe nicht verfahren werden könne nirgends geordnet, denn, ob wohl die peinliche Hals-Gerichts-Ordnung art. 149. davon handelt, so wird doch die Besichtigung dafelbst nicht, als ein nothwendig Stück zur Ermessung und Erkänntniß der Verwundung, sondern damit daran nach dem Begräbnis desto minder Mangel sey, (weil außserdem viel dinge sind, woraus solche anzustellen,) auch nicht in allen, sondern nur in denen in vorhergehenden 147sten Articul gemeldten Fällen erfordert. &c. v. Bergeri Electa Jurispr. Criminal. p. 268. fs. Consentiant VITEMBERGENSES JCTi l. c. p. 272. ita pronunciantes : Was erinnert worden, daß, wenn ein Entleibter bald nach der empfangenen Wunde verstorbet, und der Körper ohne Besichtigung zur Erden bestattet wird, die ordentliche Todes-Straffe nichts desto minder zuzuerkennen sey, befinden wir denen göttlichen und weltlichen Rechten allerdings gemäß, inmassen das göttliche Recht keine Besichtigung erfordert, die peinliche Hals Gerichts-Ordnung aber Art. 147. alsdenn nur noch solche nöthig erachtet, wenn der Verwundete über etliche Zeit hernach stirbet, derowegen wir auch in solchem Fall die Lebens-Straffe zuzuerkennen kein Bedencken getragen. Dicitur etiam BODINVS Halensis de non requirenda lethali- tate vulneris dissertationem scripsisse, quae procul dubio meae sententiae favet, quam tamen inspicere non contigit.



CONSPECTVS DISSERTATIONIS.

- I. *In Jurisprudencia falsa ex Medicina translata sunt.*
- II. *Et minus necessaria, in quibus Inspectio.*
- III. *Homicidium est crimen grave,*
- IV. *Adversatur Naturali juri.*
- V. *Poena homicidii est juris Naturalis.*
- VI. *Inspectio Cadaveris a jure Naturae ignoratur.*
- VII. *Frustranea est in homicidio a brutis commisso.*
- VIII. *Involuntario.*
- IX. *Coacto.*
- X. *A stupranda commisso.*
- XI. *Ex justo dolore perpetrato.*
- XII. *Voluntario eoque solum affecto.*
- XIII. *Ex duello.*
- XIV. *Non perfecto.*
- XV. *Praesumpto.*
- XVI. *Culposo.*
- XVII. *Jus civile Inspectionem diu ignoravit.*
- XVIII. *Lethalitates signa dubia & inspectionem reddunt dubiam.*
- XIX. *Carpzovii objectio generalior diluitur.*
- XX. *Cum objectionibus specialioribus.*
- XXI. *Consentientes cum nostra sententia Iure-Consulti proferuntur.*

ULB Halle
003 339 807

3



TA-OL







B.I.G.

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

Farbkarte #13

3570
173

Pr. 32. num. 18.

1723,8^a
9/1

DISSERTATIO IVRIDICA
DE
**FRVSTRANEA CADAVE-
RIS INSPECTIONE**
IN
HOMICIDIO

P. 498.

CONSENTIENTE ILLVSTRI IVRISCONSULTORVM
ORDINE
D. XXIV. NOV. MDCCXXIII.
IN IVLEO MAIORI
PVBLICE VENTILANDA
PRAESIDE

POLYCARPO LEYSERO

IVR. MED. ET PHILOS. DOCTORE POESEOS
PROFESSORE ORDINARIO
RESPONDENTE

RVDOLP. FRIDER. TELGMANN

DVINGA - HANNOVERANO
IVRISPRVDENTIAE ET PHILOSOPHIAE CVLTORE.

HELMSTADII,
TYP. JOHANNIS STEPHANI HESSII.

